

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4808

Auteur(s) : Jourdain du Mesnil [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1243, novembre

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Jourdain du Mesnil, chevalier, et Isabelle, sa femme, donnent aux religieux de Bonport le moulin de Landemare.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CXXIX, p. 128-129.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, ego Jordanus de Menillo Jordani, miles, et ego Ysabellis, uxor dicti Jordani, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos dedisse et concessisse Deo et Beate Marie de Bono Portu, et monachis ibidem Deo servientibus, quoddam molendinum, datum nobis in maritaggio, quod habebamus apud Landemare, in aqua Ardure, in puram et perpetuam elemosinam, quiete et pacifice, sine contradictione vel reclamacione nostri vel heredum nostrorum, perpetuo possidendum, cum omnibus pertinentiis suis et cum omni jure et dominio quod nos et heredes nostri in dicto molendino habebamus et habere poteramus, tam in sicca molta quam in alia molta, et omnibus aliis consuetudinibus ad dictum molendinum pertinentibus. Licebit etiam dictis monachis de dicto molendino et ejus pertinentiis, sine contradictione nostri vel heredum nostrorum, suam penitus facere voluntatem ; et volumus et concedimus, quod, si dicti monachi super dicta donatione a nobis vel heredibus nostris in aliquo foro ecclesiastico seu seculari, seu quocumque alio modo fuerint molestati sive inquietati, quod ille, qui ipsos molestaverit sive super hoc inquietaverit, eisdem centum libras monete currentis solvere teneatur. Volumus eciam quod dicti monachi teneant et possideant dictum molendinum, in ea consuetudine et saisina, tam in moltis, aquis, piscariis, quam aliis rebus, in qua dictum molendinum erat, quando illud in manu nostra tenebamus, absque nostri de cetero vel heredum nostrorum reclamacione. Et hec omnia supradicta tenemur nos et heredes nostri dictis monachis, contra omnes garantizare, et, si necesse fuerit, alibi, valore ad valorem, excambiare ; et eciam tenemur dictos monachos super dicta donatione et concessione, immunes conservare pariter et indempnes, et omnia dampna et depertita que occasione dicte donationis et concessionis sustinebunt, eisdem, ad dictum ipsorum, restituere, si de dicta garantizatione et excambiatione nos, vel heredes nostri, defecerimus quoquomodo. Has vero conventiones pro nobis et heredibus nostris juravimus spontanea voluntate, tactis sacro sanctis euvangeliiis, nos fideliter observaturos, renunciantes, super hoc, pro nobis et heredibus nostris, sub fide prestiti sacramenti, omni juri canonico et civili et omnibus litteris a sede apostolica impetratis sive impetrandis, et omnibus eciam exceptionibus que possent obici contra presens instrumentum. In hujus rei testimonium et munimen, presentibus litteris, tam ego Jordanus quam ego Ysabellis, sigilla nostra dignum duximus apponenda.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragésimo terció, mense novembris.